

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1493

Autre(s) référence(s) : Fauroux 47 / Tabuteau 138 / Round 701

Auteur(s) : Richard II, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : [1017-1026]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard II investit le Mont-Saint-Michel de son domaine de Verson, sis en Bessin.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Carabie Robert, *La Propriété foncière dans le très ancien droit normand (XIe-XIIIe siècles)*, t. 1, La Propriété domaniale, Caen, R. Bigot, 1943, 1 vol., p. 30 (extrait).

b. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 47, p. 155-156.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir FAUROUX, p. 155.

Texte établi d'après b

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Inter cetera bene agende vite opera non minima laude predicatur elemosina, sicut ait Salvator noster : « Date elemosinam et omnia mundabuntur vobis ». Et alio loco : « Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum. Redemptio enim anime viri divitie ejus ». Salutare quippe opus valde nobis est, si ea quæ conditor noster nobis misericorditer tribuit, ei reddamus. Quæ namque coemptio felicior potest esse quam dare obolum et recipere cælum, dare peritura et recipere æterna, dare terrena et assequi cælestia. Venale siquidem regnum celorum dicitur. Ad quod emendum unicuique sufficit proprius census cum bona voluntate. Viduæ suffecit quadrans, bonorum dimidium Zacheo, justo frigide aque calix. Quid plura ? Tantum credimus valere regnum celorum quantum quisque habet. His et aliis divine auctoritatis incitatus hortamentis, ego Richardus, gratia Dei dux et princeps Normannorum, penas inferni cupiens effugere et paradysi gaudia desiderans habere post corporis mortem, loco Sancti Michaelis, sito in monte qui dicitur Tumba, fratribusque ibidem Deo monastice servientibus, trado quandam villam mei proprii alodi sitam in pago Baiocasino, nomine Versun, cum omni terra quæ ad eam pertinet, culta et inculta, et omnibus molendinis, cum pratis et silvulis. Hoc autem facio pro redemptione anime mee, patris mei matrisque mee et uxoris, meorum quoque filiorum. Quod si aliquis hujus donationis testamentum, quod ego hodie constituo pro salute mea, aliquando violare presumpserit, perpetua maledictione dampnetur cum Juda traditore Domini et cum omnibus fidem dominis suis non servantibus. Ut autem hujus donationis auctoritas verius credatur et futuris temporibus per omnia firmiter conservetur, manu propria subter firmare curavi.

Signum Richardi magni comitis. S. Richardi, filii ejus.

Signum Rotberti, filii ejus. Signum Willelmi. Signum Gonnor, matris comitis. Signum Papiæ uxoris comitis. S. Rotberti archiepiscopi. S. Hugonis, Baiocacensis episcopi. S. Hugonis, Ebriacensis episcopi. S. Mangisi, Abrincatensis episcopi.